Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 739
Quelle:
Copyright:

CCXXXII. VII. E. 12

330 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 88. f. eleganter perſcriptus et rubricis diſtinctus, olimque, ut ad calcem notatur, *ad Sanctam Mariam Gotwic*, O. S. B. in *Auſtria infer.* Coenobium pertinens Varia complectitur, quae enumeramus. I. habetur: *Auguſtinus Contra Mendacium.* quem titulum Autor ipſe L. I. *Retract.* c. *ult.* praefigi voluit, ut Liber hic ab altero *De Mendacio* diſtingueretur. Initium ejus eſt: *Multa mihi legenda miſiſti conſenti frater kariſſime* &c. Finis vero: *ut vix ad eius terminum quem loco iſto fiximus ueniremus.* Probe conſonat lectio editis T. VI. *Maurianor. Pariſ.* 1685. *col.* 447.

II. *fol.* 19. ſequitur *Auguſtinus contra felicianum.* Ita olim fide Codicum creditus, primo dubium movente *Eraſmo*, cujus rationibus alias addente, et Codicem *Divionenſem*, cui *Vigilii* nomen praefixum, proferente *Petro Franc. Chiffletio* Jeſuita *Dialogus* iſte contra *Arianos* tandem Autori ſuo redditus eſt *Vigilio Tapſenſi* in *Africa* Sec. V. Epiſcopo, atque inter *Opera* ejus ſimul cum *Victore Vitenſi* ab eodem *Chiffletio* juris publici denuo factus *Divione* 1664. 4. Adi hanc Edit. p. 331. et ex ſubjectis Editoris *Opuſc. ſecundum* ſive *Vindicias* §. VIII. p. 70. ſimulque nota, Contenta in hac Edit. non enumerari fideliter in *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XX. p. 297. Eſt porro Dialogi initium: *Extorſiſti mihi dilectiſſime fili* (in quibusd. Codd. *Optate*) *ut de unitate trinitatis* &c. Et finis: *cum iuſtis et iniuſtis ceperit reddere mercedem*, legiturque etiam T. VIII. *Opp. Auguſt.* edit. *Maur. append. col.* 39.

III. *fol.* 29. p. 2. Epiſtola *Conradi* March. *Montis ferrati* ad *Belam* III. Reg. *Hungariae* ſcripta a. 1188. poſt depulſum anno ſuperiore exeunte ab obſidione *Tyri Saladinum.* Rem narrat e *Guilielmo Neubrig. Jacobo de Vitriaco* et *Marino Sanuto Lud. Maimburgius* in *Hiſt. des Croiſades* edit. *Pariſ.* 1686. P. I. L. 4. p. 385. 4. et apud *Baronium* T. XII. ad an. 1187. Epiſtola *Terrici* Praeceptoris quondam domus Templi *Jeruſalem* ad *Henricum* Reg. *Angliae.* Quin et eodem loco *Conradi* noſtri herois Literae de captis a *Saladino Hieroſolymis* recitantur. Quod vero ad *Belam* etiam ſcripſerit, ne ipſi quidem *Hungariae* Hiſtoriographi *Prayus* et *Palma* innuunt. Itaque literas e *Codice* dabo. *Inclito ac feliciſſimo domino. B. dei gratia hungarię magnifico regi ſublimi. forti. et excelſo. inuictiſſimo et triumphatori. C. eiusdem gratia montis ferranę* (ferrati) *marchio. eius celſitudinis deuotiſſimus. nec non magnus preceptor templi* (Terricus ſ. Theodoricus) *et eximius preceptor hoſpitalis* (S. Joh. dictus Garnerius) *et Vgo tiberiadis quondam dominus. et frater eius. d. ceterique nobiſcum tyrum defendentes ſalutem. et uelocem ad nos ſuccurſum.*